

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Libri Octavi Argumentum, & Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



LIBRI OCTAVI

Argumentum, & Synopsis.

QUAE ad legem latam pertinent, & primos quadraginta dies, quibus Moses in monte cum Deo congressus est, comprehendit ipse cap. 19. Exodi ad 31. Ex quibus ea solùm tractantur hoc libro, quæ ad Legislationem spectant, & foedus sancitum sanguine veteris illius Testamenti, quo liber legis cum populo ritè aspersus est. Cætera ad typicum Tabernaculum pertinientia suum habebunt locum libris 11. & 13. Castris igitur ad Sinam montem positis mense tertio, & eadem die, qua de statione Raphidi manè profecti erant Israëlitæ, iubentur parati esse in diem tertiam ad iciendum cum Deo foedus, postquam libera eorum suffragia, & consensum in pacta retulit ad Deum Moses. Die tertia, quæ quinquagesima fuit à prima die azymorum, maximo ad terrorem apparatu promulgatur lex, cæsisque hostiis vtrinque sancitur. Septuaginta Principes cum Arone, & filiis eius duobus Nadab, & Abiu in montem à Sequestro Moyse ducuntur ad Deum, qui suo, populique nomine fœderis iæti Testamentum sibi prorsus, populoque ratum testentur; Deique maiestatem, cum quo transegerint, propriùs conspiciant è caliginosâ lucidâque nube tanquam è folio loquentem; quæ ipsi auriti oculatique testes mox in castra ad populum referant. Moses cum Iosuë iussus in montem regredi, ad ichnographiam tabernaculi, & totum exemplar inspiciendum diligenter, & per otium; commendatâ populi curâ Principibus, & Aaroni fratri, atque Huro, redit in montem ad quadraginta primos dies: quâ in morâ non solùm illi Tabernaculi exemplar ostenditur; sed etiam longè melioris & sanctioris legis promulgatio exhibetur, Gratia, nimirum, quæ

252 Libri VIII. Argumentum;

quæ per IESVM Christum facta est, quam ille typis adumbratam, ut Synagogæ docttor, & legis spiritualis Mediator prægustaret: pleniùs paulò post informandus visione Posteriorum Dei.

1 Legis æternæ maiestas, & potestas coercitionis in omnes, quam nulla vis, nulli mali mores populorum abrogant, breuiter ostenditur.

2 Sina mons biugus, Deo sacer iam inde ab ardente Rubo, qui in Horebeo visus vertice. Parnassus hic merito vatum biuertex, rupto è petra fonte mirabilis, & æternæ Themidos oraculo. Accessit S. Catharinæ, Christianæ Pallados, sepulcrum, & Musæum Cœnobitarum ab Imperatore Iustiniano; ex quo Sinaïtæ insignes olim plerique sapientia Sacerdotes.

3 Castris ad Sinā positis, magna populi comitia coacta ad legem sciscendam, & fœdus cum Deo ferendum.

4 Suffragia populi liberrima consentientis in fœdus à Sequestro Moie referuntur in montem.

5 Moses eadem die reuersus è monte populum iubet paratum esse in diem tertiam: lustrationis ritus indicit, lotionem corporum, & vestimentorum, secubationem, temperantiam, preces, monti fines circunductos ad venerationem & terrorem, non impunè violandos.

6 Lustratur populus: & fines prætentæ sepe positi.

7 Die tertia, lustrationis, quæ Pentecostes prima, tanquam apparitores Maiestatis tonitrua, & fulgura in verticem montis præcedunt, ad apparatum terrificæ legis. Deus ignea in nube in montem descendit.

8 Trepidantem prodigiis populum Moyses educit è castris in occursum Dei: clara ipse voce à Deo euocatus in montem, spectante populo honoratur familiari Dei congressu: mox ad populum remittitur ad tuendos fines monti prætentos; & Aaronem sacerdotio destinatum segregandum à turba, ut intra fines admissus legem proprius audiat, iubetur secū adducere: quippe cui deinceps illud cœli depositum credendum, & eloquia Dei committenda sint.

9 Reuersus

9 Reuersus Moses , cūm præsentes pœnas transgre-
di fines audentibus denunciasset , regreditur in montem
cum Aarone.

10 Vix transmiserant valli septum , cūm clangen-
tibus tubis , & buccinâ horrificè personante ad po-
puli attentionem defigendam , formato demum in vo-
cem articulatam tonitru , diuina lex promulgari
coepit.

11 Proœcium legis , & tria præcepta primæ tabulæ.

12 Præcepta alia septem , secundæ tabulæ , quæ ad
proximi amorem pertinent , & cupiditatum modera-
tionem.

13 Lucidissima Dei lex illuminat mentes , & testi-
monia credibilia ingerit . Quia tamen tunc efferatis mo-
ribus sancienda terrore erat , buccina horrendum per-
strepente pauoris dira facies , & mortis apparatus for-
midabilis circum fines positos concursans , populum
consternat metu ; ne bestia audeat fines tangere ad
Heb. 12. 20.

14 Ut à timore paulum respirauit populus , orat
Mosem , vt ipse loquatur solus , quæ Deus mandata
velit , ne loquentem ipsi Deum non ferentes , moriantur.
Confirmat trepidos Moses , & timorem Domini fidum
legis custodem tradit.

15 Populi obsequium , & suffragia Moses Deo refert :
qui , quasi delectatus illo populi timore , & petitione
mediatoris interpretis , Prophetam similem Mosi è cog-
nato sanguine promittit Christum Dominum ; quem
qui noluerint audire , extremo exitio pœnas daturi sint.
Deut. 18. 15.

16 Eadem die Deus in monte Mosi explanat legem , &
quæ paucis verbis decem capitum comprehensa erant ,
explicat pluribus legibus , quæ continentur extremo ca-
pite 20. Exodi , & 21. 22. & 23. capitibus , quarum legum
tituli hic summatim colliguntur.

17 Legem vniuersam breuiat Caritas , & duobus api-
cibus summā dicit amor Dei , & proximi. Huc pertinent
omnia

254 *Libri VIII. Argumentum,*

omnia Pharisaeorum phylacteria & fimbriæ. Vocatur populus postera die ad sanciendam sanguine sacro legem. Altare ritè ponitur, & circum tituli Tribuum duodecim.

18 Sacerdotes electi è populo, qui hostias cædant: sanguinem Moses seponit; suffragia populi iterum rogat.

19 Recitat è scripto libro legem, Decalogum, scilicet, & illas alias eum explicantes, quas à Deo solus audierat: populi suffragiis in eadem acta relatis; concinnato ex cedro, lanáque coccinea aspergillo, mistoque cum aqua sanguine hostiarum, librum legis populūmque vniuersum adaspergit. Exod. 24. ad Heb. 9. 20.

20 Sanguis hircorum & vitulorum veteris instrumenti, cum sanguine Christi, quo nouum Testamentum conditum est, & obsignatum comparatur.

21 His actis, populus coram Domino epulatur lætissimè: intérque epulas hymnum in diuinam legem concinit, præcentore Mose in legis laudes.

22 E senioribus septuaginta cum Aarone, & liberis eius duobus Nadab, & Abiu, in montem euocati, qui populi suffragia perferant, & omnium nomine spondent obsequium Deo, audiántque, & videant accipi, & ratum haberi à præsenti Dei maiestate. Mirantur vbi que frondentem Sinam, quem pridie ab imis radicibus ardentem viderint.

23 Superato monte, vident in vertice è lucidâ nube Dei solium, & currum, quem infinitæ Angelorum myriades succollantes componunt: sed maximè Seraphim, & Cherubim quadriformes, quales Ezechieli visi posteà.

24 Inuehitur Dei currus super stratū sapphiro solum, summittente se in verticem montis cœlo, Deus apparet specie augustissimi Legislatoris, septus Sanctorum milibus, igneam legem dextra gestans, Deuter. 32. 2. Sed hebetati seniorum oculi tantis splendoribus, lucem tantum immensam aduertunt, & sibi conspectā meminerunt;

&

& sub pedibus, laterculis sapphirinis tessellatum paumentum: nimirum, *Oculus non vidit, neque in cor hominis ascendit*, &c. Moses interim offert Deo populi suffragia, & vota.

25 Accipit Deus populi obsequium: pœnas, & præmia ostendit. Mosem cum Iosuë in montem postridie redire iubet, ad exemplar Tabernaculi inspiciendum, & legis tabulas digito Dei exaratas, accipiendas.

26 Senes septuaginta reuersi in castra populo mira narrant stupore magis suo, quam verbis.

27 Moses postridie summo mane in montem cum Iosuë redditurus populi custodiam, & legis commendat principibus, additis illis Aarone & Hure ad consilium, plurima ipse monens, & plura timens.

28 Admissi intra nubem in monte quadraginta diebus diuinis fruuntur visis. Mosi legis Gratiae sanctitas ostensa.

29 Præterita, & futura quomodo Prophetis ostenduntur per imagines certis affectas signis temporum, locorum, & rerum, aut per intimum Dei illapsum in mentes, quibus notiones omnium singulari auxilio imprimit.

30 Christus Gratiae author, & Legislator Mosi ostensus. Legislatio gratiae qualis.

31 Christus Propheta promissus populo, similis Moysi de medio fratrum. Deuter. 18. 15.

32 Christus concionatur in monte, Matth. 5. & virtutum Euangelicarum summam proponit.

33 Legem Mosi datam non abrogat; sed instaurat. Ipse implet exemplo, & gratiam perficit.

34 Coenatio in monte Sion, vbi celebratum verum Pascha à Christo, immolato Agno Eucharistico, & lex Euangelica promulgata, mundo misso S. Spiritu die quinquagesima, Moysi representatur.

35 Baptismi à Christo instituti vis, & efficacitas adumbrata in Iordane exundante, mistis vnguentis: nationum concursus ad Baptismum.

36 Gentium

256 Libri VIII. Argumentum.

36 Gentium olim desertarum solitudo, & vastitas, vberrimâ Carmeli, & Saronis amœmitate repente donata, Isai.41:19. Venatores Apostoli promissi, Ierem.16. 16.coactas in retia, & pascua feras exarmant & mansuefaciunt verbo,

37 Moses cognoscit ab Angelo Christum finem legis esse, & consummatorem, Doctorem iustitiae: & Gratiae Euangelicæ præstantiam.

38 A gratiæ contemplatione reuocatur Moyses ad umbras, & typos, & iniiciendum Tabernaculi veteris exemplar, ritusque Mosaicos.



LIBER